Deo opt. max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QVÆSTIO MEDICA.

Quodlibetariis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 7. Januarii.

M. JOANNE-BAPTISTA DE REVELOIS, Doctore Medico, Præſide.

An quæ primo partu Marem generant fœcundiores?

FOECUNDITATEM quâ mulier uni ſæpius vivacique proli generandæ fit idonea, naturæ in deliciis eſſe, abundè monet ars conformandi quæ præſertim plena Deo eſt. Dum enim immortalitati ſtudet, quam anxiè quærit, mirum quid moliatur, ut individui caducam fragilitatem compenſare queat. Ubi primùm itaque ſeu mari, ſeu fœminæ ſua vis, organorumque configuratio ſatis acceſſerint, ſi adultum opus natura, ne dicam, penè noverca negligere videtur, ipſa nihilominus parentis optimæ numquam non vices agens, Epheborum proprias partes, ac præter eas ſuccos meliores ſemen atque ſanguinem, ſed feſtinans in mulieribus adornat. Quamobrem in uno hoc negotio veluti tota verſaretur, parùm ejus intereſſe diceres ſexuum alterum nimiâ ſalacique venere minorem fieri, etiamnum-ve commori, dummodo novæ ſobolis partu reviviſcere durareque poſſet in ſpecie; ut enim ea ſtabilis permanſura ſit, cupidinum matre, ſed leni profectò opus eſt, quippe quæ moderata ac intermiſſa ſolùm fœcundior eſſe ſoleat.

FINEM ut conſequatur natura, rerum deſignationem & apparatum inſpice. Sexuum impenditur actio, quilicet diversâ partiũ compoſitione diſtent, pari tamen ætatis atque temperamenti conſpiratione commendantur. An non ita ſatius eſt ætate florentes connubio jungi, quàm ſi ſenex puellæ, aut quod abſurdius vetula multarum nuptiarum ſemperque thori impatiens juveni nubat. Atenim ex ſexuum affinitate, dum alius in alium fit proclivis, tertium quid prodit, quod ubi ſemel ab avidiori prolectatum eſt utero, aliquantulùm ſervatur ad actum, ſi tamen robuſtius probæque notæ, & inſuper arvum præclarè temperatum nulla qualitate peccet, quæ ſatus deperdat. Siquidem jam illis unà conſentientibus, adeſt conceptionis & ab eâ circiter Animæ architectonicæ creationis momentum, maximè cùm amborum laudabilis conſtitutio bene temperata probet primaria viſcera, quorum ope ex puriori materiâ teſtes ἰσχυρώτατοι, tam ἀῤῥενογόνος dexter nec abs re, quàm θηλυγόνος ſiniſter nec injuriâ, ſemen vi prolificâ donant, à quo præſertim habet mulier ut quantùm ſibi ſterilitas dedecori vertitur, tantùm eidem ornamento ſit ἀγονία, ſed eo certè major, quod puber illa quamprimùm matura viro collocetur, juvenis contra crudior etiamnum & inhabilis diu ſervatus expectet, tametſi tardiùs & ſenex generat.

ANIMA ſui domicilii fabricæ quamtúmvis neceſſariò præſit, cave ne putes illam moliri quidpiam ſeorſum ab organis, quibus ſervire debet etiam ut ratiocinetur. At quantò majori jure, ſi conformatricis officio fungitur, quæ licet in indigeſtâ mole prorſus immerſa videatur, attamen ex ſelectâ ejus portione ſubjectam rudiùs delineare materiam atque fingere, tum verò promere ſimul ac omnes ad unam particulas ornare non ceſſat, quæ juxta convectas ſimilium partium in ſeminariis imagines, vel principem ſexum ex maſculeâ foris, aut ſecundarium ex fœmineâ ſemente intùs exhibituræ ſint. Quod dum fit ſi ſexuum alter patris effigiem, quod amat fieri, vel matris vultum potiùs refert, aut quemdam in determinatâ parte nævum repræſentat, hoc efficax imaginatio, illud autem ad exemplatium fidem, ſi ſuo natura juverit organo, facultas effingens potiſſimùm aſſequatur, atque perficiat.

CALOR qui cuncta nutu moderatur, dum ſeipſo vegetior factus, ſuâ ſponte fors prodit, & pedem effert, is delatam ſecum, aut velut è centro communi evocatam conformatricem protinus invitat ad marem deſcribendum, quemadmodum eadem vis, ſi præ languore, aut ejuſdem organi pigritie quâdam concluſa ſit, fœminam mox ſed intùs figurat. Quapropter mas à primâ origine firmi caloris conſcius & teſtis, celeriùs in utero motus, nec non ad diffindendos opportunè carceres ſuos ſemper alacrior, principiorum quibus conſtat, unâque viſcerum unde manant, firmitatem ſic commonſtrat, ut eorum quæ invicem tam arctè conſpirant, altero malè morato quidpiam ad unguem elaboratum prodire non poſſit. Sic itaque ex laudabili chylo melior editus ſanguis integerrimum de ſe ſemem proferet; argumento certè robuſtiorem ventriculum, eique muneris ordine ſubjectas partes alias probè jam conſtitutas, ſuam ſimul ac ſemel teſtibus ſymbolam contuliſſe, ut probum ſemen ſuſcipiant, quod prolificum perinde mulier gignit, nullâ re majoris momenti viro inferior, imo cui contumelioſus eſt, quiſquis monſtrum eſſe malit, quàm inter Heroas illam aliquando computare.

QUID ergo? Licet ex æquo ſexus affectet natura, nec uſquam à fine declinet, dum fœminam generat, attamen matri primo partu marem enixæ fœcunditatem omnis benè ominetur. Siquidem mas turgentis calore ſeminis propagatio eſt, ſemenque ipſum merus propriiſque in locis primùm excoctus, tumque concurrentis undelibet ſpiritus motione multâ ſpumans dealbatuſque ſanguis eſt. Jam verò num qui ex nutritione ſuperſtes ſeminum fit materia, is ipſe hæmatopoeticõn viſcerum domeſticum eſt opus, ad quod perinde nec ſecus abſolvendum pro ſuâ quæque naturâ, robore inquam ſeu craſi, ac formâ definiuntur. Atque tunc ubi primùm fervent operæ, ex præcipuis, probéque ſe habentibus officinis, quod uniuſcujuſque fuerit perfectiſſimum opus, ſanguis nimirum ex hepate & corde, ſpiritus inſuper è cerebro, ac ſemen à ſolis teſtibus emanat, tum demum tot ex fontibus, quemadmodum variis aquarum inductionibus terris ubertas datur, ipſa mox bonorum parens, arvo bellè comparato, fœcunditas in ſexum prorumpit, quæ communibus cum vitâ atque diuturnioris ævi ſanitate fundamentis innixa, per longam nepotum ſeriem, ſpeciei perpetuitatem, quæ naturæ votum eſt, atque per renovatos ſtemmatum ſplendidiores gradus, ipſi generi, nominis, inquod laborant, immortalitatem afferat, ſiquidem quæ crebrò prægnans futura eſt, facilè concipit, atque ſana eſt.

Igitur quæ primo partu Marem generant fœcundiores.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Michaël de Hodencq.
M. Pontius Maurin.
M. Ioannes-Baptiſta Ferrand.
M. Carolus Marteau.
M. Antonius le Moine, Chirurgiæ Profeſſor.
M. Guido-Creſcentius Fagon, Reginæ Francorum Medicus primarius.
M. Franciſcus Sorand.
M. Nicolaus Rainſſant, Pharmaciæ Profeſſor.
M. Petrus Pouret unici Fratris Regii Medicus ordinarius, & pharmaciæ Profeſſor.

Proponebat Pariſiis BERTINUS SIMON DIEUXIVOYE, Pariſinus, Baccalaureus Medicus. A. RS. H. 1683.